

B

EXERCITATIO
M E D I C A
TRIGESIMA TERTIA.

In almâ Argentoratensium Aca-
demîâ proposita:


PRÆSIDE
MELCHIORE SEBIZIO
juniore, Doctore ac Pro-
fessore Medico:

Respondente
HIERONYMO PLATZ,
Augustano.



ARGENTORATI,
Typis exscribebat Joannes Andrea.

Anno M. DC. XXV.





PROBLEMA I.



trum semen maris dissolvatur in utero, & in flatum vertatur, uti credebatur Aristoteles? Dicitur fuit, Aristotelem neq; semen, neq; vim generationis effectricem mulieribus concedere: sed statuere, eas tantum materiam & locum, hoc est, menstruum & matricem ad generationem fetus conferre. Vim autem effectricem omnem soli marium semini tribuere. Cum vero, ut idem l. 2. de gen. an. c. 3. docet, in semine isto duo sint: τὸ συμπυκνῶδες, corpulentia, sive crassamentum, καὶ ἡ δὲ ὑγρὰ, vis atq; facultas, quā operatur, cujus primaria ἐστὶν αἰθήρ sunt τὸ πνεῦμα, spiritus, καὶ τὸ θερμὸν, calor: non ille igneus, qui nullum generat animal: sed is, qui ἀνάλογον τῷ τῶν ἀσπυρτοῦ χέλιου; corpulentia autem seminis virilis pars fetus minimè fiat, neq; eius substantiam ingrediatur: merito queritur, quoniam vertatur? Ad hoc quesitum respondet Aristoteles l. 2. gen. an. c. 3. Διαλυεῖται καὶ πνευματικῶς, dissolvi & in halitum, sive spiritum mutari: cum naturam habeat humidam & aquosam. Verum Galenus acriter se l. 1. de sem. c. 4. opponit: & id quidē non immeritè. Rationes Galeni sunt sequentes. I. quia si in primà conceptione semen verteretur in spiritum, oporteret sanè uterum statim intumescere ac distendi, sicut ventrem, cum flatibus urgetur, in tumorem attolli videmus. Causa est: quoniam ex minimà humida substantiæ quantitate maxima aëris copia generatur. Id quod Galenus exemplo ventorum declarat. Atqui tantum abest, ut in primà conceptione uterus turgeat, inq; majorem elevatus tumorem conspiciatur, ut etiam minor sub id tempus, & ex omni parte prorsus contractus sætūiq; adherens observetur. Quod paucis ad Aristotē in brutorum dissectione, quæ statim post conceptio-



nem administrata, ostendere dicit. II. quia gravida, in conceptionis principio dolerent. Haberent enim uterum à flatibus distentum. At dolore nullo tentantur. III. quia spiritus illi, si ve flatu, vapores & halitus, in quos resolutum semen viri, cum sonitu per pudendum muliebrem tandem erumperent, ipsèq. uterus subsideret: quemadmodum flatu ventriculi per os, & intestinorū per anum, & quidem cum crepitu exilire audimus, tumore utrarūq. partium depresso. Sed ejusmodi crepitus in imprægnatis minimè animadvertuntur: neq. detumescere uterus ante partum cernitur. IV. quia semine in uterum immisso, maturè admodum membrana nascitur, conceptum undiquaq. circumdans atq. involvens. Qui ergo exire halitus ille, in quem sperma transformatum, ante partum potest? Legatur caput to. um.

I I.

An semen corpus sit animatum & vivat? Diversum statuunt Scriptores diversi. Galenus sanè vitam tribuere videtur spermati. Nam l. I. de sem. c. 6. scribit, semen habere facultatem attrahentem sibi accommodata, & expellentem aliena ac superflua. Imò etiam vim retinendi & immutandi eidè ibidem largitur. Præterea l. 14. usq. part. c. 11. & l. 1. de sem. c. 7. nec non l. 2. de sem. c. 4. asseverat, masculinum semen nutriri semineo. At quod attrahit nutrimentū, attractum retinet, retentū immutat, & supervacuum excernit, de communi omnium Medicorum & Philosophorū sententiā animatum est. Scaliger similiter semen actu animatū statuit: uti patet ex Exerc. 6. l. 7. 8. 9. & 10. Idemq. facit Vallesius l. 2. contro. c. 8. Et potest hæc sententia confirmari partim ratione: partim verò auctoritate. Ratione multiplici. I. est: quia semen in se habet spiritum & calorem vitalem. II. quia facultatem continet plasticam, quæ ab animâ fluit. III. quia est vasculum & receptaculū animæ in sobolem à parentibus propagandæ. IV. quia à nullâ aliâ causâ conseruatur & vivificatur, quam ab animâ sibi inharente. Non enim anima aliunde in illud immittitur. V. quia virtute generante

rante pradiū. *Authoritate verò Aristotelis. Is enim l. 2. gen. an. c. 1. non longè à fine scribit, semen animā habere. Id quod ibidē confirmare videtur per hoc a^{xi}oma: quia omnia, quæ aut naturā, aut arte efficiuntur, ab eo, quod actū est, fiunt ex eo, quod potestate tale est. At partes, similes pariter & dissimiles, fiunt naturā. Ergò ab eo quod actū est, nimirum ab animā, ex eo quod potestate est, scilicet ex crassamento seminis corporeo, cui anima illa inheret. Scaliger exerc. 6. sect. 7. alia quedam loca ex Aristotele allegat, quibus Philosophum semen animatum credidisse probat. Nam l. 7. metaphysicæ, inquit, semen sicut artificem esse. At artifex formam in suā potestate habet, eamq. materie imponit: non autem excipit extrinsecus, tanquam hospitem, aut inquilinū: sed habet indigenam atq. ^{in se} ^{ipsum}. Libro 2. de gen. an. dicit, anima herentis in semine vim corporis esse conditricem: cui simile est illud Themistij 1. de anim. Anima sui domicilij architecta est. Libro 1. de gen. an. ait, potestatem illam dare formā, & imponere in materiā: veluti faber indit lecto. Libro 8. metaphysicæ, in semine statuit principium movens. Agit autem naturalis hæc potentia sine instrumento ullo. Nulla enim qualitas, homini nota, potest esse instrumentum ordinationis, sitūs, numeri, figuræ, & aliorū ejusmodi: sed secretionis tantum, aut concretionis; densationis, aut rarefactionis; extensionis, aut contractionis; cohesionis, aut abjectionis; asperitatis, aut lenitatis; duritiæ, aut mollitudinis; visciditatis, aut ariditatis, & aliorum talium, quæ consimilibus partibus creandis apparatus sunt à Naturā. Libro 7. metaphysicæ, speciei causam in materia esse profitetur: & haud ita multò post: motum ad generationē dicit à facultate fieri, qui in semine inest. Quo naturalia differunt ab his, quæ arte fiunt. Ars enim, inquit Philosophus l. 2. gen. an. c. 1. principium formæ, eius, quod efficitur, est; sed in alio. Motus autem natura in ipso est, ab alterā profectus naturā, quæ obtinet formā. Sed sunt, qui semen vitæ expers esse doceant: sequentibus moti rationibus. I. quia humor est. At nullus humor vivit. II. quia neq. planta est, neq. animal. III. quia non augetur. Ergò neq. nutritur: & per consequens neq. vitā fruitur. IV. quia convertitur & mutatur*

demū in partes animatas: ipsarum v. partium formā nondum ha-
bet. Ficus enim in entibus permanentibus nondū existit. V. quia
excrementū est ultimi alimenti: ut Aristoteles definit l. 1.
gen. an. c. 18. At nullum excrementum vitæ particeps est. VI.
quia secundum aliquā sui portionē cedit in alimentum corporū
varicosorum, testium, vasorum ejaculatoriorum, vesicularū se-
minariarum & prostaticarum glandulorum. Sed nullum alimen-
tum animatum est. Hisce rationibus Scaliger quinq; alias addit
exercit. 6. sect. 8. & 9. I. est: quia semen uniforme est. Ideōq;
actionē non habet: ac propterea neq; vitā participat. II. quia
si anima inest semini, utiq; & ageret. Si ageret, instrumento indi-
geret. Hoc ergō spiritus esset. At spiritus est seminis pars. Itaq;
si pars est & materia, efficiens minimē erit. III. quia si anima
esset, idem in seipsum ageret. IV. quia si v. g. canis anima
esset actū in semine, canis semen esset canis: quod videtur absur-
dum. V. quia si anima esset in tritici, alteriusve stirpis semine,
quod annum, aut amplius seruetur, quō fieri possit, ut efficiens
causa sit oriofa: Quidam deniq; mediam ingrediuntur viam:
& semen non quidem *inchoatū*, actū: at tamen *divisū*, potestate ani-
matum esse dicunt. Cui sententia subscribere videtur Aristo-
teles l. 2. gen. an. c. 3. Quamquam Scaliger Exerc. 6. c. 7. eā
aliter interpretetur. Sic enim ille. Quōd Philosophus ait, animā
divisū inesse semini, hoc idē dixit, non quia egeat aliā substantiā
se se eliciente ac perficiente: (sic enim esset inchoata:) sed quia
caret instrumentis expressis, quæ sunt in eius potestate. Hoc est: se-
men potestate animatum dicitur, non respectu actūs primi, quasi
anima essentia careret: sed respectu actūs secundi, sive operatio-
num, quas ob defectum organorum nondum exercere potest. Sunt
enim in semine omnia adhuc confusa, indistincta & indetermi-
nata: nullūq; in eo definitus apparet organorum apparatus. Hinc
Aristotel. l. 1. gen. an. c. 19. scribit, semen manūs, aut faciei, aut
totius animalis, esse manū indefinitā, aut faciē, aut totum ani-
mal indefinitum. Ideōq; imperfectio illa, non anima, sed defectus
organorum ascribi debet. Conciliator eādem utitur distin-
ctione diff. 48. *semenq; animatum statuit, non actū, sed potestate:*

state: & quidem non potestate illà remotà, sed proximà. Propterea
 semen medià quasi naturam habere dicit inter animal perfectū &
 mortuū. Non enim animā actū habet, ut animal operans: neq. eadē
 prorsus destitutum est, ut animal mortuū. Nobis quid in difficili
 & arduā hāc quæstione videatur paucis eloquemur. Arbitra-
 mur, actum primum, hoc est, ipsam animæ essentiam *ἐν ἑαυτῇ*, in
 tempore presenti, inesse spermati: actum verò secundum, hoc est
 animæ operationes, tantum *δι' ἑαυτῆς*, in tempore futuro: idē, uti mo-
 do explicatum, non imperfectione animæ: sed defectu conveni-
 entium organorū. Quorum enim principiorum actio corporalis
 est, ait Philosophus I. 2. gen. an. c. 3. ea sine corpore corporeisq.
 instrumentis esse & operari nequeunt. Hunc autem actum secun-
 dum, & has operationes, quæ antea *δι' ἑαυτῆς* inerant semini, tum
 introduci censemus, cum debita & necessaria organa sunt intro-
 ducta. Iacto ergo semine in matricē femine, tanquā in agrum
 generationi assignatū, generans illius virtus, quæ duabus instru-
 cta est facultatibus: unā *ἀλλοιοτική*, quæ substantiā respicit, mate-
 riāq. generationis in fatum eiusq. partes, similes & dissimila-
 res, convertit: alterā *πλαστική*, quæ accidentia spectat, & singulis
 partibus decentē conformationē in figurā, cavitate, asperitate
 & levitate tribuit: numerū item concedit convenientē, magni-
 tudinē justam, situm idoneum, necessariā deniq. connexionē &
 cohesionē largitur: ab uteri calore exuscitatur: singulasq. factūs
 partes, calore ac spiritu seminis adjuta, producit: per quas post-
 modum *ἐπιόντα ἰσχυρὰ*, anima, efficax est & operatur. Cæte-
 rum quod actus iste secundus non actu insit semini, ab omni-
 bus est concessum. Quod verò actus ille primus, ipsa nimirū anima
 substantia, actu eidē insideat, præter argumenta supra ex Aristo-
 tele & Scaligero adducta, etiam duob. seqq. probari potest. I.
 quia Aristoteles I. 1. gen. an. c. 18. semen vocat agens, & effi-
 ciens, & movens. At *τὸ κινῆν*, inquit idem 9. metaphys. *ἐν ἑαυτῇ*
δὴ ἔχει: quia operatur, non quatenus potentiā: sed quatenus actu
 vale est. Cum ergo semen agat, hoc est, generet partēsq. formet, actu
 animatum sit oportet. II. quia si non haberet animā in se ipso lati-
 tantē, eam sanē aliunde acquireret. Quare vel ab animā Matris,

in cuius uterū fuit projectum: vel ab uteri calore, eam habere.
Non ab illā: quia forma subjectum suū non egreditur: neq. divi-
sibilis est in partes: cum sit simplicissima & incorporea. Neq. ab
hoc: quoniam accidens nullam producit substantiam. Nihil enim
ultra vires suas operatur: nullumq. accidens agit, nisi per vim sub-
stantia, & à formā, à quā dependet, dirigatur.

III.

Quid ad argumenta eorum, qui semen animatum negant, respondendum? Ad primum dicimus, disparem rationē esse spermatis & aliorum humorū. Illud enim humor quidem est: sed *vernū indēs: hi v. dē p. indēs sunt.* Quare cum totus homo, & secundum animā, & secundū corpus ex spermate generetur: etiā principū vivendi ratione actūs primi eidē inesse necesse est. Ad secundum. Semen animalis imperfectum animal est, carens tantum articulationibus, inquit Scaliger Exerc. 6. f. 9. In semine enim, ait idem Exerc. 268. est & materia, & forma futuri animalis, v. g. hominis. Neq. differt ab homine semen hominis, nisi sicut potestas ab actu. Quia semen fit actu homo, perficiendo. Neq. dicitur alio modo corrumpi semen, nisi quia desinit esse, quo modo erat, scil. potentiā: & fit, quo modo non erat, hoc est, actu. Est autem materia eadem cum eodē principio formali, cui nihil aliud additur, quā organorum expressio, quæ confusa prius erant. Igitur est ens, quod erat, sed non quo modo erat. Ad tertium. Non est necesse, ut semen augeatur & nutriatur; quia nondum actu: sed potestate solum homo est. Ipsum enim materia est hominis, cuius partes si ex eo genitæ sunt, demū nutriuntur atq. augentur. Ad quartum. Concedimus, semen mutari in partes viventes, & partiū formā atq. articulationē nondum habere actu. Negamus autē, vitæ principium in eo non præexistere. Dictum enim jam fuit ex Scaligero, quod & materia, & forma futuri animalis in semine delitescat. Ad quintum. Non par omnium excrementorū est ratio. Quaedam enim excrementa dicuntur ratione solius quantitatis: quoniam abundant: quedam ratione qualitate:

tis : quia vitiosa sunt, & ad nutritionem inepta : quadam deniq;
utriusq; ratione. Quod ergò purum putum excrementum est, &
quidem vel vitiosum quid : vel saltē ad nutritionem inutile, ani-
matum minimè statuitur. Tale autē semen non est, ut infra di-
cetur. Ad sextum. Si semen secundum communē omnium phi-
losophantium & medicantium opinionem excrementum est ulti-
mi alimenti, quo ergò pacto alimentum erit organorum spermati-
corum? Excrementum quippe alimento opponitur. Vtrūq; er-
gò uni eisdemq; rei tribui non potest. Responsiones ad argumen-
ta ex Scaligero petita videantur loco allegato. Libet hic di-
cere paucis, quod ille pluribus. In primo negatur primū semen
uniforme esse : id quod patet ex ipsā materia, unde excoquitur.
Neq; enim sanguis ipse uniformis est. Negatur deinde, uniforme
non nisi unicum opus facere posse. Extra se quidem potest : intra
se v. nequaquam. An non Solis corpus uniforme est, & plurimo-
rum tamen effectuum causa? Nunquid non anima simplex est &
uniformis, & tamen principium multiplicis potestatis? Ad se-
cundum. Vis seminis generans ad figurandum formandūq;
nullo eget instrumento. Si enim anima spiritum movet sine in-
strumento, cum movemur : quidni poterit sine instrumento figu-
rare? Ad secundus v. qualitatis utitur primis. Est enim semen
non solum quid, sed etiam quale : habetq; calorem non à matrice,
sed ab homine, unde emissum. Matricis enim calor cum tantum
conferuat, qui semini insitus. Sub calore autem etiam spiritus in-
auditur. Is diffusus est in omnes partes : agitq; in alias seminis
partes, à quibus est diversus. Itaq; pars corporis, que formatur,
non est : tamen si est in unā massā, veluti coagulum in lacte. Est
igitur in corpore seminis, sicut agens in patiente. Non separatus
loco, qui sensu percipiatur : sed in intellectu. Ad tertium. Jam
dictum, calorē & spiritū à crassamento seminis diversum esse, mul-
tōq; magis animā. Non ergò idem in se ipsum agit. Sunt ista qui-
dem in unā eadēq; massā : sed ratione planè diversa. Anima si-
quidem agens est principale : calor & spiritus instrumentale. Re-
liquum materie & patientis vicem obit. Ad quartum. Ase-
ntitur Scaliger : & canis v. g. semen canem imperfectum esse dicit,
carentem tantum articulationibus. Ad quintum. Otiosum est,
quod

quod cum debet, aut potest agere, non agit. At illo tempore anima seminis tritici, quod asservatur in horreo, nihil aliud habet agere, quam vivificare materiam illam; quod & facit. Fabricare autem non potest, quia extra matricem suam est: quippe extra terra finum. Sic arboris anima nihil adificat hyeme. Opus enim habet adjumento.

I V.

Vtrum semen sit pars corporis: an colliquamentum: an alimentum: an excrementum? Horum aliquid esse semen, docet Aristoteles 1. de gen. an. c. mihi 18. Partem autem propriè & specificè dictam non esse, ex materiâ, formâ, efficienti & sine probari potest. Omnis siquidem pars aut similis est, aut dissimilis. Similis fit ex semine, & nutritur atq. augetur sanguine materno. At semen ex semine non fit: multôq. minus nutrimentû & augmentum capit ex sanguine dicto. Dissimilis verò constituitur ex similibus partibus: quod dici de semine nequit. Neq. enim materia ex suo constat materiato. Huc accedit, quod ex semine permanente, nihil fiat, quemadmodum v. g. ex carne, nervo, & similib. alys. Item: quia quoties profunderetur, toties animal mutilû esset. De formâ res est clara. Nullius enim partis formâ semen actû habet. Hinc illud Aristoteles 1. gen. an. c. 19. cujus supra mentio facta: semen manûs, aut faciei, aut totius animalis, est manus indefinita, aut facies, aut animal totum indefinitû: & quale quodcûq. illorum est actû, tale semen potentiâ est, aut corpulentia suâ, aut facultate, sive virtute, quam in seipso continet. Efficiens partium omnium est vis ἡ ἐν τῷ σπέρματι: cui subserviunt ἀλλοιοῦσιν καὶ κατασκευάζουσιν, qua latitât in semine. At à tali vi plastica & transmutativa semen non fit. Finis & usus partiu est, ut anima per eas sit efficax, suâq. operationes exercent. Finis autē seminis est conservatio speciei: Colliquamentum, σπέρμα, definit Philosophus 1. gen. an. c. 18. τὸ ἀποκρίθην τῷ ἀσπύματι. ἵπὸ τῆς παρὰ φύσιν ἀναλύσεως: quod ex incremento secermitur resolutione præter naturâ. Tale quid esse semen veteres olim docebant: idq. ut Aristoteles ibid. innuit, propterea, quoniam putabant, semen ἀπὸ πάντος ἀπέρχεται, διὰ τὴν θερμότητα τὴν ἀπὸ τῆς κινήσεως, scederere à toto corpore, propter calorem motûs. Putabant enim, semen in solo concubitu à toto provenire corpore, idq. cen factum

factū quiddam esse motu agitationē, secretū. Verūm Aristoteles hanc sententiā seqq. refutat argumentis: I. quia οὐδὲν, nisi a preter naturā sunt: nec quicquam secundum naturā oriri potest ex his, quæ præter naturam sunt. At semen res est naturalissima: & ex eo primò fiunt ea, quæ secundum naturam constituuntur: teste eodē l. 1. gen. an. c. 2. & 18. II. quia colliqumentū nullam propriā sedem habet; sed fluit, quocunq. facilius ferri potest. At semini, ut & alijs excrementis, certus est in corpore destinatus locus. III. quia colliquatio semper ledit: seminis excretio aliquando juvat. IV. quia qui multū habent liquaminis, parum continent seminis. Alimentum propterea esse negat Philosophus, quia id res est οὐκ ἐκ τῆς φύσεως, planè adventitia. Possumus tamen & istam addere rationem: quia alimentū vertitur in nutriti substantiā, ad conservationem individui: semen ab eodem excernitur ad speciei propagationem. Relinquitur ergò, semen excrementum esse: & quidem, ut Philosophus statuit l. 1. gen. an. c. 18. alimenti utilis atq. ultimi. Quòd sit excrementū, patet inde, quia est ὑπόλειμμα τῆς τροφῆς, residuum alimenti. Sic enim Philosophus ibid. excrementū definit. Quòd sit excrementum alimenti utilis, ex eo liquet, quia Aristoteles dicit, eos, qui vel ratione atatis senilis, vel ratione morbi alicujus malè se habent, plurimum habere in utilis alimenti: seminis verò aut nihil: aut infæcundi & sterilis. Quòd deniq. excrementum sit alimenti ultimi, hinc manifestum est: quoniā residuum est sanguinis. Ex hoc enim unumquòdq. membrum alimentum capefit. Unde qui vel parum sanguinis generant, ut senes; vel multum quidem generant, sed quòd generant, in nutritionem & accretionem corporis convertunt, ut pueri, nihil seminis colligunt. Et qui supra modum teneri indulgent, cruentū plerūq. semen emittunt.

V.

Vtrum semen ab omnibus & singulis corporis partibus sit deciduum? Ardua, obscura & scrupulosa hæc est questio: qua jam ante multa secula, Hippocratis & Aristotelis tempore, præclara exercuit ingenia. Veteres, inter quos etiam divinus Hippocrates, cujus tamen Aristoteles l. 1. de gen. an. c. 17. ubi ex professo hanc questionē movet, non meminit, affirmativā tue-

bantur. Patet hoc ex lib. περὶ γυναικῶν, l. de aër. aq. & loc. l. de morbo sacro, & l. 4. de morbis. Rationes Hippocrates habet 3. I. est: quia vasa ab omni corpore in pudendum vergunt: l. περὶ γυναικῶν in principio. II. quia multos morbos à parentibus in liberis propagari videmus, qui ob id hereditary dicuntur. In eorū albo Hipp. l. de morbo sacro Epilepsiam collocat. Si enim, inquit, ex pituitoso pituitosus, ex bilioso biliosus, ex tabido tabidus, & ex lienoso lienosus gignitur, quid prohibet, quò minus ex parentibus epilepsia laborantibus epileptica proles generetur? Procedit enim semen ab omnibus corporis particulis: à sanis sanum, à morbidis morbosum. III. quia liberi similes sunt parentibus. Declarat hoc Hippocr. l. de aër. aq. & loc. exemplo macrocephalorum, quibus caput erat acuminatū & longum, eā scil. in Asia parte, quae Septentrionē respicit. Scribit namq., tale caput Asianis visum fuisse pulchrum atq. decorum. Ideoq., ut tale evaderet, incolae tennella infantum capitula compressisse manibus, vinculaq. & instrumenta quaedam adhibuisse, quò rotunditas eorum prohiberetur: augetur autem acumen & longitudo. Et à principio quidem consuetudinē & educationem in causā fuisse dicit, ut homines longis essent capitibus. Progressu vero temporis naturam ipsam cum consuetudine conspirasse, & suā sponte uo νεροε-
quādam produxisse, ut tales efficere arte & ingenio non amplius esset necesse. Cū enim, subdit, semen genitale ab omnibus membris dimanet, à sanis sanum, à morbidis morbosum, fiantq., ex calvis calvi, ex castis casti, & ut plurimum distortus generet distortum, quid impediret, quò minus ex macrocephalis macrocephali generarentur? Hisce rationibus Aristoteles l. 1. gen. an. c. 17. ex veterum sententiā addit alias. Prima est voluptas totius corporis, quae in actu Venereo percipitur. Totum enim corpus voluptate gestiens quasi convellitur. Vnde Hippocrates, ut refert Agellius l. 19. Noct. Attic. c. 2. τὴν οὐροσταν μιν πρὸς ἐπιρροήν appellare solebat. Secunda procreatio mancorum ex mancis. Veteres quippe ab eā parte, quae deest, semen proficisci negabant. Tertia eadem est cum tertiā Hippocratis ante allatā: similitudo nimirum parentum. Similes enim gignantur, ut toto corpore toti: sic particulatim singulis partibus. Quod si causa

causa est, ut totum simile sit, quod ex tali toto semen prodierit:
 partibus quoque causa similitudinis erit, quod ex unaquaque parte
 aliquid venerit. Quarta: quia veritati consonum, ut, quem-
 admodum totius corporis aliquid est, ex quo primum generetur:
 sic partis quoque, cuiusque semen aliquod proprium sit. Eadem enim
 ratio est totius & partium. Alias partes generarentur sine se-
 mine. Quinta ad tertiam pertinet: quoniam liberi similes pa-
 rentibus prodeunt, non solum rebus natura insitis & nativis:
 verum etiam adventitijs atque externis. Cum enim parentes ci-
 catrices haberent, filij quidam eadem sui corporis parte easdem
 retulerunt. Nam Chalcedone, inquit, cum pater brachio esse
 compuncto, filius idem presentavit: nota tamen confusa, mi-
 nister, explanata. Addamus rationem sextam: quia univer-
 sum corpus ab immodica Venere exolvitur, marcescit & conta-
 bescit. Item septimam: quia cum nihil agat ultra vires suas,
 nisi ex privata cuiusque partis nutritione aliquid superesset,
 quod per contactum & alterationem naturam ejus redoleret, cau-
 sa probabilis dari nulla posset, cur tot tamque differentes partes ge-
 nerarentur? Insuper & octavam: quia sicut cuilibet parti infi-
 ta est virtus nutriendi & augendi: ita & generandi. Hisce enim
 tribus virtutibus instructa est potentia vegetativa, que omnibus
 est particulis tributa. At vis illa generare nequit, nisi per semen.
 Quare si adesset, & semine careret, frustra sane adesset. Huic sen-
 tentia favere videntur Avicenna l. 3. Can. fen. 21. tract. 1. c. 8. &
 ex recetioribus Archang. Piccolhomin^o l. 3. anat. prelect. 1. &
 4. Verum illi adversantur Aristoteles l. 1. gen. an. c. 18. Fer-
 nelius l. 7. φυσiology. c. 2. Laurentius l. 8. anat. c. 2. quaest. 4. Val-
 lesius l. 2. contro. c. 7. Conciliator. diff. 34. & plerique alij.
 Rationes sunt istae. I. Si semina animalium ex omnibus profue-
 rent partibus, stirpium quoque semina ex omnibus illarum mem-
 bris derivarentur. Etsi enim animalia a stirpibus distinguantur
 facultate animali: naturali tamen cum his convenire videntur.
 At semina stirpium non proficiuntur ab omnibus earum partibus:
 id quod Aristoteles l. 1. gen. an. c. 18. ex eo probat, quia ple-
 rasque partes vel non habent; vel quisque abscindere potest: vel postge-
 nitas habent. Ergo. Quin etiam, addit idem, ex fructibus ni-

bil secedit: & tamen ij quoq; eadē formā prodeunt. II. Si semē à toto
prodiret, vel prodiret tantum à partibus similaribus: vel tantum à
dissimilaribus: vel ab utriusq;. Nō primū: quia liberi parentib; similes
sunt formā potiùs partiū dissimilarium, ut faciei, manū, pedum
& c. Non secundū: tūm quia hāc ratione semen nō proficisceretur à
toto: tūm quia rationi magis consonū, à similaribus demitti. Sunt
enim similes priores, & dissimiles ex similaribus constant. &
quemadmodū facie ac manibus similes procreantur liberi: sic etiā
carne & unguibus. Non tertium: quia generationis modus ex-
plicari non posset. Constant enim partes dissimilares ex similaribus,
& hæc ex elementis. Quare si ex dissimilaribus aliquid secedit
ex similaribus quoq;, imò ex ipsā compositione & elementis quip-
piam secernatur necesse est: perinde ac si à nomine scripto quippā
proficisci, & à toto provenire dicatur, quoniam à quavis syllabā
quippiam proficiscitur. Nam si à syllabis, etiā à literis & com-
positione prodibit. Aristot. ibid. III. Si ab utroq; parente se-
men esset deciduū, & quidem ab eorum singulis membris, sanè vel
infans natuſ hermaproditus esset, & partim marē, partim fœ-
minā referret: vel, si unumquodq; semen sigillatim generaret, duo
semper animalia & gemelli procrearentur: quorum alterum mas,
alterū fœmina esset. Quorum utrūmq; falsum. Aristot. ibid.
IV. Si semen deflueret ab omnibus & singulis corporis particulis,
ratio dari non posset, quomodo illa animalia generarentur, quæ
non statim animal sui generis & nature, sed vermiculū prius
edunt: ut sunt muscæ & papilionēs. Hæc enim animalcula ex nul-
lis ejusdē, aut diversi generis animalibus oriuntur. Generant
tamen animalcula quædam: sed non similis nature: verū genus
quoddam vermiculi. Itaq; constat, non ex semine, quod de cunctis
partib; decesserit, generari quæcūq;, diversi generis sunt. Similia
enim essent. Aristot. ibid. V. Si secretionē seminis à singulis
partibus generatio fieret, uno coitu plures fœtus generari nequi-
rent. Fieri quippe minimè posset, ut sine maximā partium dimi-
nutione tot particula auferrentur. Aristot. ibid. VI. Si ex
cunctis partibus semen secerneretur, planta, quæ generantur per
sementē, uno eodēmq; motu fructum adferre annuum non possent.
Singulas enim è singulis vel coitibus, vel secessibus fieri secretiones


neceſſe eſt: quod tamen minimè obſervatur: eò quòd plures & ſeparati motus ad hanc rem requirerentur. Ariſtot. ibid. VII. planta, qua non per ſementè, ſed per inſitionem ſeruntur, ſemen adferunt. Ergò & priuſquam avulſa ſeruntur, ex eàdem ſui magnitudine fructificàſſe, non ex totà plantà deſumptum ſemen tuliffe liquet. Nam ſi hoc fieret, nullius arboris ſurculus fructum ſui generis proferre poſſet. Ariſtot. ibid. VIII. Si ſemen ab omnibus corporis partibus proveniret, plurima inſectorù genera procreare non poſſent. Ratio eſt: quoniam mares ſemen non emittunt: ſed vim duntaxat proliſtam conſerunt. Fœmine verò, cum coëunt, particulã quandam ſuam in mares inſerunt, ſicq; quaſi materiã ad opificem adferunt. Ariſtot. ibid. IX. Si de mini- mã quaq; particulã ſeminis quippiã decederet, neceſſe eſſet uno cõ- cubitu univerſum corpus in ſemen quaſi liquefactũ diſfundi. Fernel. 7. *κοινων.* c. 2. X. Copioſum colligeretur, ſemè utpote ab omnibus tum ſimilarib; tum diſſimilaribus partibus profectũ: nec fieri poſ- ſet, ut tantula, qua eycitur, ſubſtantia vim haberet ad procreandũ fructum; quòd è ſingulis corporis partibus quippiam accepiffe non poſſit. Fernel. ibid. Hæ ſunt rationes pro & contra. Ex quibus no- bis probabiliores efficacioreſq; videntur illæ, quæ contra agentè allatæ.


VI.

Quid rationibus pro affirmãte adductis reſpondendum: Libri *περὶ γένεωſ, περὶ πόρωſ, περὶ τῶν αἰσθητῶν, περὶ τῶν ζῴων, καὶ περὶ τῶν ἰσχυρῶν*. Hippocratis non ſunt: ut reſtantur interpretes, probantq; dogmata multa in iis contenta. Sed eſto, ſint ſanè divini ſenſ; veritatem tamen pluriſ facimus, quàm authoritatè. Primam enim Hippocratis rationem *αὐτολῆα* redarguit. Nunquam venæ & nervi ab omni corpore ad pudendum exporreçti viſi. Secundam itidem con- futat experientia: quia agritudines parentum non ſemper in liberos propa- gantur. Tertiam Ariſtoteles l. 1. *gen. an. c. 18.* reſellit tribus argumentis. I. quia nati ſimiles ſunt parentibus ratione partium, ſecundum ungues & pilor: & ratione accidentium, ſecundum vocem ac motum; à quibus tamen nihil ſecedere ſeminis manifeſtum eſt. II. quia nati partes & accidentia quadam habere poſſunt, qua parentes, cum generarent, non obtinuerunt: ut ſi imber- bis juvenis generet, & nõ multò poſt moriatur, fieri poteſt, ut filius ejuſ ad ſum- mam perveniat ſenectutem, barbãq; & canoſ conſequatur, quorum parens nihil habuit. III. quia nepoteſ & abnepoteſ avũ & majoribus quandòq; ſi- miles ſunt: ex quibus tamen in illorũ generatione nihil ſeceſſit. Notum quip- pe eſt, poſt plura genera ſimilitudinem reddi, Hoc enim exemplum Helidiſ, probat,

probat, qua postquam concubuisse cum *Ethiopo*, filiam quidem peperit: sed
 nõ formã & colore *Ethiopi*. Ex filia autem natus *Ethiopen* representabat.
 Ad primam verò à veteribus allatam ratione *Aristoteles* ibidẽ respondet,
 non propterea magnã rei *Veneris* voluptatem esse, quòd semen ex toto sece-
 dat: sed quia vehemẽs prurigo accidit: idq; ut *anatomici* ajunt, ob seminis cali-
 ditatem & spirituositatem, & partium genitaliũ sensum exquisitissimũ. Hãs
 enim cum motu suo titillat, & velut pruriginẽ infert, universũ corpus in voluptate
 trahit. Vnde si quis frequenter *Veneris* utatur, minori afficitur volu-
 ptate: quia semen crudius est atq; frigidius: nec adeò vehementer prurit. Vo-
 luptas insuper *Veneris* in sine potissimum coitus contingit. At si ex toto secer-
 neretur, nõ simul, sed singulis partibus, alijs prius, alijs post exultaret. Non enim
 inquit *Laurentius* l. 8. anat. quest. 4. credibile est, semen in momento à singu-
 lis partibus in testes & ejaculatoria vasa derivari. Ideòq; etiam voluptas non
 demum in sine coitus: sed toto durate acta persentiretur; quia semen, si qui-
 dem prodiret à toto, ab unã parte in alteram illaberetur. Ad secundam *Aris-
 toteles* ad *vers. 20. l. 1. gen. an. c. 18.* respondet. Non enim semper ex mancis
 manci: sed plerumq; etiam integri atq; perfecti creantur: hæc q; in parte libe-
 ri parentibus dissimiles gignuntur. Ad tertiã jam responsum. Ad quartã. Singu-
 lularum quidem partium aliqua est materia; cum ex nihilo naturaliter ni-
 hil fiat. At non sequitur, quamlibet particulam parentum peculiare generare
 semen, quæ cujuslibet natõrũ membri causa sit materialis. Eadem enim ratio
 esset & in plantis, ut *Aristoteles* eodẽ in loco urget. at minime credibile, mi-
 nutissimũ semẽ ex vastissimã arbore, infinitisq; illius ramis & surculis secessisse.
 Ad quintam aliquo quidem modo supra responsum. Verum respondendum
 ulterius. Stigmata & signa in liberos transferuntur, non à materiã semina-
 li: sed vi imaginatrice Matrũ, & formatrice, quæ semini inhaeret. Ad sextam,
 quam nos ex abundantia addidimus, dicimus, causam exolutionis ab immodicã
Veneris esse exhaustum spiritum & caloris, quibus semen abundat: non quòd
 semen à singulis membris procedat. Ad septimam. Causa formationis & ge-
 nerationis tam differentium partiũ non est semen & vis plastica cuiusq; earũ:
 sed anima in semine latitans: duabus instructa facultatibus, ἀλλοιοσιὰ καὶ
 πλαστικὴ, & duob; stipata ministris, calore & spiritu. Ad octavã. Cuilibet parti
 facultatem vegetativam, & consequenter etiam vim generandi insitam con-
 cedimus. inde tamen sequi insitamus, quamlibet peculiare generare semen,
 quòd ab eã dimanet & in vasa seminaria confluat. Quid ergo, dices, generat,
 & ex quã materiã? Respondemus, aggenerare potius, & addere præexistenti
 substantiæ, quam generare de novo: idq; ex alimento assimilato. Possibile etiã,
 & forsã rectius dicere, vim quidem nutrientem & augmentem inesse singulis:
 generantẽ autem specialiter concessam esse organis spermaticis. Vnde tam
 varius eorum apparatus. Quædam enim materiam adferunt & præparant:
 quædam præparatum melius elaborant: quædam perficiunt & absolunt: quæ-
 dam absolutum deferunt: quædam deniq; usq; ad tempus excretionis asser-
 vant.

F I N I S.





01 A 6570

ULB Halle
002 937 867


3




12

1017







B.I.G.

Farbkarte #13

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Inches
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



ATIO
C A
TERTIA.

ensum Aca-
sita:

DE
SEBIZIO
re ac Pro-
lico:

PLATZ,



RATI,
nnes Andreae.

XXV.



22

